



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

393. An electio per compromissum sit licitæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

*Questio 388. Num idem teneat in Religiosis?*

**R**espondeo affirmative, nisi obster speciale statutum; potest enim quilibet renunciare juri suo, nisi oppositum sit illi injunctum à Superiore suo. Pass. n. 19. tantumque Religiosus non habet velle vel nolle contra vel ultra voluntatem Superioris; ubi autem contrarium non constat, Superior præsumitur velle, quod volunt jura, ac se conformare cum eorum dispositione. Gonz. ad reg. 8. cancell. Gl. 4. n. 166. Adeoque ad hoc, ut Religiosus electioni intra Monasterium possit renunciare, sufficit, quod Superior id facere non vetet. Suar. tom. 4. d. 46. c. 1. n. 12. Sigism. loc. cit. n. 14.

*Questio 389. Intra quantum tempus Electus consentire debeat electioni?*

**R**espondeo: intra mensem à die electionis sibi præsentata, quo elapso, si non consenserit, amittit jus quæsitum ex electione, & vacat Prælatura. Barb. ad c. quàm sit. h. t. in 6. n. 3. Gonz. loc. cit. gl. 15. n. 50. Castel. c. 14. n. 40. Pass. n. 23. Quod tamen locum non habet, ubi Electus consentire nequit absque licentia Superioris; necesse enim est tunc, electum vel Electores quam citius hanc licentiam petere, determinandumque est tempus licentiæ hujus obtinendæ arbitrio judicis, spectatâ distantia loci, in quo moratur Superior. Et si in congruo tempore non obtineatur licentia, vacat Ecclesia, possuntque Electores alium eligere. Pass. loc. cit. Porro competit Electo adhuc integer mensis ab obtenta licentia ad consentiendum. Biax. p. 3. c. 24. Peyr. tom. 3. c. 9. n. 21. Pass. loc. cit. citans Boër.

*Questio 390. Quid sit decretum seu instrumentum Electionis?*

**R**espondeo: esse scripturam continentem ab initio ad finem totam electionis seriem; seu esse scripturam dispositionem & ordinationem totius electionis principaliter consistentis in eo actu, quo unus Electorum per modum decernentis, desinientis, & sententialiter eligentis nominatum in scrutinio à majore parte Capituli nomine ejusdem eligit. Gl. in c. innotuit. v. decreto. ibid. Abb. n. 13. Hanc scripturam in suo Ordine ait Pass. c. 21. n. 1. dici scrutinium, quia continet totum ordinem scrutini.

*Questio 391. Num hoc decretum scriptum sit de substantia Electionis?*

**R**espondeo negativè; tamen enim de substantia Electionis sit, ut ipsa innotescat confirmatori, quantum opus est, ut de ea judicet, & illam aut confirmare, vel cassare valeat; per accidens tamen est, quod confirmator accipiat hanc notitiam per scripturam potius quàm per relationem oretenus factam à testibus, scrutatoribus, vel Electoribus, facientibus fidem de processu electionis. Barb. ad c. innotuit. n. 17. ibid. Abb. n. 16. Host. Imol. Castel. c. 12. n. 25. & 30. Sigism. dub. 41. n. 2. Pass. n. 2. cum communi contra Gl. in c. innotuit. Sed neque necesse est, ut simul cum decreto electionis mittantur ad confirmatorem personæ aliqua ex iis, quæ electioni interfuerunt, ut Superior per eas de persona electi, forma electionis, & studiis eligentium informetur: etsi enim id fundamentum habere videtur in c. cupientes; rectius tamen dicitur, id solum innui ob majorem cautelam,

Abb. ad cit. c. innotuit. n. 14. Quin & in cit. textu non esse sermonem, nisi de electionibus confirmandis à summo Pontifice. Pass. n. 3.

*Questio 392. A quibus necesse sit scriptum esse hoc decretum?*

**R**espondeo primò: in electionibus non regularium ordinarium quidem esse, non tamen necessarium, ut omnes Electores subscribant, hæc v. g. formâ: Ego Titius Canonicus S. Petri interfui huic electioni, consensi, & propria manu subscripsi: docet Innoc. in c. innotuit. h. t. n. 3. contra Sigism. loc. cit. n. 7. & Lavor. c. 19. n. 102. apud Pass. n. 4. docentes, id esse necessarium.

**2.** Respondeo secundò: ut hoc decretum plenam fidem faciat, præscindendo à speciali statuto vel consuetudine, non est necessarium, ut sit scriptum à Notario publico coram testibus; uti vult Sigism. dub. 4. n. 9. ita etiam, ut hi interfuerint procellui electionis, omniâque in eo acta viderint; sed sufficit, scriptum esse à Scrutatoribus, ubi hi à lege assumuntur, & deputantur ut Tabelliones ad describendum processum electionis; sunt enim hoc ipso personæ publicæ, scribes ex officio, adeoque ex hac auctoritate publica plenam fidem facientes, absque eo etiam, quod opus tunc sit testibus; majorem enim fidem merentur tres personæ ex publico officio Scribentes, quàm unus Notarius & duo testes; quin & hoc ipso Scrutatores Argumento c. cum dilectus, habent officium testium; siquidem & Notarii testes sunt, sed publici, Cast. de elect. c. 1. n. 30. Pass. n. 6. & 7. qui tamen etiam n. 9. addit, in eo casu nimirum, dum Scrutatores ex lege conscribunt decretum electionis; necessarium esse, ut apponatur Sigillum Collegii vel Conventus; dum autem Notarius alius publicus conscripsit hoc decretum, & apposuit Sigillum sui Tabellionatus, opus non esse, ut insuper apponatur Sigillum Collegii.

**3.** Respondeo tertio in genere; ut instrumentum electionis plenam fidem faciat, debere esse confectum juxta leges cujusunque Collegii, auctoritate apostolicâ approbatas; ita ut, ubi ex lege, aut stylo assumendus est Tabellio, hoc servandum sit, ubi autem Scrutatores ipsi hoc munere funguntur, per eos, & non per alium Notarium confici debere instrumentum hoc, Pass. n. 11. de cætero assumi quoque potest in Notarium laicum, Abb. in c. innotuit. n. 15.

## PARAGRAPHVS XII.

### De Electione per compromissum, & communem inspirationem.

*Questio 393. Num Electio per compromissum sit licita?*

**R**espondeo primò negativè quoad Regulares; pro his enim hic modus eligendi reprobat per Trident. sess. 25. de Regul. c. 6. Pass. c. 22. n. 2.

**2.** Respondeo secundò: quoad Clericos alios affirmative; pro his enim approbatur hæc forma eligendi in c. quia propter. his verbis: Vel scitem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur (nimirum

mirum ab Electoribus) qui vice omnium Ecclesie viduata proficiant de Pastore &c. melius autem committitur hæc potestas aliquibus in numero impari. c. in causis. c. cum dilectus. c. cum in iure. h. r. Potest etiam committi uni. Abb. in c. in causis. n. 2. Butrio in c. cum dilectus. n. 2. quin & melius committitur uni. Pass. n. 3. Qui etiam esse potest non Prælatus; etiam ipse confirmator. Pass. loc. cit. Etiam mas respectu monialium. c. causam. h. r. Pass. n. 3. Poterit quoque Capitulum aliquos eligere, per quos eligantur compromissarii, electuri vice Capituli. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. n. 6. Sigism. dub. 20. n. 2. Miran. tom. 2. q. 23. a. 34. Pass. loc. cit. Porro dum tres electi seu constituti compromissarii sub hac verborum forma: dantes eis, & cuilibet eorum, potestatem eligendi &c. illorum quilibet censetur institutus in solidum, Gemin. ad c. cum expediat. h. r. in 6. n. 7. primoque electus ab uno illorum est confirmandus. Gemin. loc. cit. Pass. n. 4.

*Questio 394. An Compromissarii debeant esse Clerici, & de Capitulo?*

1. **R**espondeo ad primum affirmative, Gl. in c. quia propter.

2. Respondeo ad secundum negative. c. causam. h. r. ibidem. Abb. & Butrio, Biax. p. 3. c. 17. Sigism. loc. cit. n. 1. Pass. n. 3.

*Questio 395. Quotuplex sit compromissum?*

**R**espondeo duplex: aliud absolutum, dum Electores absolute & sine limitatione compromittunt in aliquos, ut eligant, quem voluerint. c. in causis. c. causam. h. r. Aliud limitatum, quo compromittitur limitate, ut, scilicet compromissarii, auditis omnibus vocalibus, eligant illum, in quem major pars Electorum convenerit, de hoc compromisso sermo est in c. cum dilectus. c. si cui, & cap. cum expediat. h. r. nullumque est hoc compromissum, ut decernitur c. si cui. Dum electores facultatem dant Compromissariis eligendi illum, qui fuerit à pluribus Electorum, non tamen constituentibus maiorem partem Capituli nominatus. Laym. de Elect. q. 87. Pass. n. 5. Porro hoc compromissum limitatum est forma quadam electionis mixta, nimirum ex scrutinio & compromisso, etsi principaliter dicatur forma compromissi. Gl. in c. cum expediat. v. exquisitis. Gemin. ibid. n. 7. Adeoque electores in nominando compromissarii illo, quem eligi volunt, accuratè servare debent leges scrutini statutas cap. quia propter. Pass. n. 7. (non tamen ipsa nominatio compromissariorum subiecta est scrutini legibus, sed potest fieri viva voce, ubi id specialiter prohibetur non est, vel per fabas aliòve modo. Pass. n. 18.) erit enim aliàs forma eligendi distincta ab illis tribus statutis in c. quia propter. adeoque reprobata & nulla, juxta cap. si cui. Unde, si compromissarii unum de Collegio ab omnibus nominatum elegerunt, non exquisito illius voto, & hic electus consensit electioni, electio erit nulla, quia de ratione scrutini est, ut vota omnium Electorum inquirantur. Pass. n. 10. Item nulla est electio, si compromittant Electores, ut determinatè eligatur talis; talis enim nominatur extra scrutinium, quod non valet; secus tamen est, dum à se nominatum in scrutinio determinatè compromittunt eligendum. Item nulla est electio, si statuatur compromissarii, limitando eis electionem, ita v. g. ut eligant unum ex tribus, quos tres de Capitalo

nominabunt, quia hæc est forma non expressa in c. quia propter. omnis autem forma ibi non expressa est nulla. c. si cui. Econtra autem si dictæ leges scrutini serventur, non tam erit forma distincta ab illis tribus, quam integrata ex earum duabus & minime contraria illis species. Gemin. in c. cum expediat. h. r. in 6. Pass. n. 7. Qui etiam n. 15. & 16. rectè observat, in hoc compromisso limitato non committi nisi electionem communem, vel ad summum publicationem scrutini, & collationem, siquidem nominare in scrutinio eligendum sibi servant Electores, & compromissario non conceditur facultas, nisi eligendi nominatum à maiore & saniore parte; distingui nihilominus adhuc à forma scrutini pura per hoc, quod in electione per scrutinium is, cui committitur electio communis eligat vice presentium electorum, in dicto autem compromisso eligat vice propria, & aliorum compromissariorum; si eorum sint plures, cum facultas talis electionis à Capitulo transferatur in compromissarios, Unde etiam licet, ubi in forma scrutini pura à lege determinatus est, qui faciat electionem communem, non possit ea committi alteri, possit tamen per viam compromissi deferri alteri, dum compromissum non est quoque prohibitum. Observandum etiam quod ad hoc compromissum limitatum, quod ubi singulorum electorum vota exquiri debent per ipsos compromissarios, plures necessario constitui debent, & tot, quot ex jure necessarii sunt scrutatores: nam tunc hi compromissarii sunt ipsi Scrutatores electionis; Si verò compromittitur sola electio illius, qui ex scrutinio facta ab aliis & publicato inventus fuerit nominatus à maiore & saniore parte, unus solus constitui possit compromissarius, quin &, ut Pass. n. 17. ad hunc effectum ineptè statuuntur plures. Observandum denique in hoc compromisso non habere locum accessum, adeoque à Compromissario eligi non poteritis, qui cum in scrutinio nominatus non esset à maiore parte, tot tamen post scrutinium ad eum accedunt, ut jam evadat nominatus à maiore parte; cum vota data extra scrutinium non valeant. Vide de hoc Pass. n. 9.

*Questio 396. Num valeat compromissum aliquo Electorum contradicente?*

1. **R**espondeo primò: negative de compromisso absoluto; nullus enim tenetur cedere jure suo; quilibet autem electorum habet jus eligendi. Abb. in cap. scriptum. h. r. n. 3. & in c. in causis. n. 30. Franc. & Butrio in cap. quia propter. Biax. p. 3. c. 18. n. 1. Lamb. de jure p. 1. 2. p. 2. q. 2. a. 17. Sigism. dub. 10. n. 31. Pass. n. 19.

2. Resp. secundò: de compromisso limitato sufficere, quod in electione compromissariorum consentiat major pars; cum in isto modo electionis nulli fiat injuria, dum unusquisque nominare potest personam, quam vult, & compromissarii nequeant eligere, nisi nominatum à maiore parte Capituli. Gemin. & Franc. in c. cum expediat. & plures alii, quos citat Pass. & sequitur n. 20.

*Questio 397. Quæ sint substantialia electionis per compromissum?*

1. **R**espondeo primò in genere, ea omnino necessaria esse, quæ necessaria sunt ad electionem in genere; quod enim est necessarium generi, necessarium etiam est speciei. Pass. n. 21.

N 4

2. Re.